

## AD ANNAM KOMORNICIAM CARMEN GRATULATORIUM

Anna, Musarum studiosa cultrix,  
Integer iudex Heliconiarum  
Quam tibi gratam magis autumarim  
Aut magis almam?

An poli sanctae siderum patronae  
Te sibi ascivisse libet serenae?  
An chori turbae citharaeque honestae  
Docticanaeque

Praesuli? Forsan tenerae Thaliae  
Aut gravi Clio cupis, aut Camenae  
Grandis heroique operis probari  
Dulcis amica?

Sed quid insanus rogitem, sororum  
Cui magis tete aut rear esse sacram,  
Aut magis caram, studiis celebrem  
Qui bene noscam

Te frequentantem sacra litterarum  
Teque adorantem ingeniosa vatum  
Orsa mystarumque Aganippeorum  
Carmina docta.

Sint tibi gratae, tibi quae laudantur,  
Sint tibi dulces Heliconis alti  
Virgines, prosint studiorum in ausis  
Perficiendis.

Systemate Sapphico minore  
composuit  
*Mieczislaus BROSCIUS*

Cracoviae Polonorum